



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786**

**VD18 90119347**

§. 66. Clementis Papæ oppositio contra Neapolitani Regis postulata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

bus pristinam restituit pacem, & Orationem Romam reverti iussit.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1736.

Supererant adhuc inveteratæ lites a Sardinia Regis Administris propagatæ, quas, ut tandem componerent, Cardinales Alexander Albanus, & Petrus Corradinus extremos adhibebant conatus, hucusque tamen irritos.

§. LXVI.

*Clementis Papæ oppositio contra Neapolitani Regis postulata.*

Exeunte hoc anno inter Carolum Cæsarem & Gallia Regem de pace in eunda serio cogitatum est, cui quoque subscripserant Hispaniarum & Sardinia Reges, qui Gallicis armis faventes fœdus cum iis percusserant. Illud vero præprimis doluit Clementi, quod in altera transactionis parte die tertia Octobris Vienna sancita ducatus Parmæ & Placentia Domui Austriacæ asserti fuissent, nulla omnino habita ratione Sedis Apostolicæ, quæ has ditones tanquam avita sua feuda sibi vendicabat. Eapropter Pontifex graviter apud Cæsarem, aliosque Principes paciscentes querebatur. Nonnihil tamen dolorem leniebat, quod in quinto ejusdem pacis articulo Cæsar Ducatus Castrum

*Hist. Eccles. Tom. LXXV.*

Y

&

Sæc. XVIII. & Roncionem eidem Sacræ Sedi re-  
 A. C. 1736. stitueret iustus fuerit, seque obstrin-  
 rit, quod utriusque Ducatus incorpo-  
 rationem ulterius prosequi haud velle-  
 Acriter tamen Carolus Borbonius Ne-  
 polis Rex, cui in Parmæ Ducatus  
 successio erat destinata, sese huic pe-  
 cis decreto opposuit, postulans, ut ut-  
 rumque hoc feudum redderetur. Ver-  
 rum Pontifex præscriptionis jus oppo-  
 suit, declaravitque, bona semel Apo-  
 stolicæ sedi firmo jure asserta alienare,  
 sibi integrum non esse: Ut vero univer-  
 so Orbi constaret, penes Sacram Se-  
 dem plenum utriusque Ducatus Domi-  
 nium ex antiquo fuisse, Pontifex Car-  
 dinali Aldobrandino negotium dedit,  
 ut Ecclesiæ jura in præfatos Ducatus  
 solidis rationibus, editoque scriptis  
 comprobaret. Nihilominus juris firmi-  
 tati adeo prævaluit imperium prote-  
 dendi cupiditas, ut Curix Parmensis  
 Cancellarius nomine sui Principis ad  
 utriusque Ducatus subditos edictum  
 transmitteret, vi cuius eis inhibitu-  
 ne deinceps ullum alium præter Par-  
 mæ Ducem, ceu Dominum suum ag-  
 noscerent, & tributa, ceterasque ex-  
 actiones duntaxat in Parmensi Camera  
 penderent: Attamen tam firmum erat  
 Sedis Apostolicæ jus, ut in iure pacis  
 arti-

articulo, quo Ducatus Pontifici fuit Sæc XVIII.  
 adjudicatus, immote insistendum de- A. C. 1736  
 cerneretur.

## §. LXVII.

*Caroli Cæsaris oppositio contra deci-  
 marum exactionem a Papa  
 concessam.*

Jam anno priori Carolus III. Palati-  
 nus Elector allatis pluribus rationi-  
 bus Clementem Papam eo induxit, ut  
 ex Ecclesiasticorum bonis decimam par-  
 tem exigendi facultatem eidem indul-  
 geret. At quo promptior Pontifex  
 erat in concedendo, eo morosiores  
 erant hujus Regionis Ecclesiastici in  
 elargiendo; cum enim per belli cala-  
 mitates, hostiles exactiones, hyberna-  
 cula, aliasque expensas pene innume-  
 ras damna immensa pertulissent, gra-  
 ve nimis onus vix reslorescente pacis  
 tranquillitate sibi imponi existimabant;  
 quapropter hanc in rem Cæsaris offi-  
 cium opemque supplices implorarunt:  
 Nec eorum precibus defuit æquitas Im-  
 peratoris, qui illico datis ad Electorem  
 literis eundem hortabatur, ut attenta  
 temporum injuria, & Cleri inopia de-  
 cimarum exactionem differret: Eo  
 etiam sine Romam ad suum Oratorem  
 Y 2 per-